

EXERCITATIO XCVI. 637

hanc solam priùs considerat, quàm de corpore quicquam doceatur, jam alia atque alia objectant. Quæ omnia ex mera inscitia oriuntur, quam quidem æquo animo ferre parati essemus, nisi conjunctam haberet obtrectandi malitiam & nocendi studium.

22. Perinde faciunt ejusmodi homines, ac si Grammatico, dum circa solas literas versatur, objicerent, quòd neget vocabula aut totam orationem nihil aliud esse credat quàm literas separatim existentes.

EXERCITATIO XCVI.

Eadem Physicæ methodus declaratur exemplo poëtico perquam appposito.

I. **S**ED quia duo imprimis poëtæ sunt, qui ut hunc, quem in fine præcedentis Exercitationis exposuimus, Philosophiæ nostræ ordinem: ita illum Physicæ, pro cujus defensione hæc omnia scribo, calculo mordent, nono loco ipsis è sua arte exemplum producam adeo simile & gemellum huic de quo agitur negotio, ut ejus explicationi accommodatius & adversariis refellendis efficacius nullum inveniri posse videatur.

V v 3

2. Pe-